This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
9
675

5.107

485a

Bd. 1873.

G a 9. 675.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Recd. 14 Oct. 1871.

210 mag.

QUAESTIONUM AESCHYLEARUM SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM SCRIPSIT

GUALTERUS BORMANNUS
POTISDAMENSIS.

GOTTINGAE
MDCCCLXIX.

Ga 9.675

1871. Oct. 14.

Hocce libello de Aeschylo mihi commentaturo nonnulla de ipsa re meoque scribendi consilio praemittenda videntur. Cum nuper in Engeri editione minore Agamemnona Aeschyli accurate cum amico quodam retractarem, toties ac tantopere offendebar in tragoedia interpretanda, ut ea, quae ipse eisdem de rebus sentirem, expromere, deinde ceterorum editiones adire constituerem, qua in re non potius mihi, quam Aeschylo satisfacere enixe studui.

Itaque sententias meas, quantum ingenium mihi suffecit, perscriptas effinxi atque in tabulis meis recondidi. Postea autem a reliquis editionibus auxilium petivi et, cum Wellaueri, Godofredi Hermanni, Blomfieldi, Dindorfi, Schneideri, Hartungi, Schneidewini, Weili, Kecki, Engeri alteram, qua Klauseni commentarium auxit, denique Karsteni, Heusdi, aliorum editiones comparavissem, magis magisque animadverti, quantum adhuc de permultis rebus homines docti discreparent quantumve relictum esset in interpretando Aeschylo.

Quamquam enim pleraque magis explorata et explanata esse cognovi, quam in illa minore Engeri editione, tamen multa a me maiore simplicitate explicatum iri speravi, ita ut poëtae praeclarissimi oratio melius inter se cohaerere videretur. Nam longe abstineo ab eo iudicio, quod Weilius, vir doctissimus, qui optime de tragoediis Aeschyli meritus est, in novv. ann. phill. tom. XCIII, pg. 17 contra Heusdium protulit, in hac tragoedia Aeschyli interpretanda nihil amplius excogitari posse, quod et novum esset et bonum. Num consentaneum est, ab homine antiquarum literarum

amantissimo illa verba dicta esse? Qua in re, quod potissimum Weilius hoc arbitrium fecit, moleste fero nec solum nunquam eum ita iudicavisse voluerim, sed etiam optaverim, ut ipse illam vocem a se non profectam esse velit.

Quid enim novum est? quid novum videtur Weilio? Neque enim ea nova a Weilio nominari dixerim, quae sic a nobis inveniuntur, ut speciem quandam inauditae gravitatis praebeant et saepe minus gloriae poëtae, quam eorum gloriolae inserviant, qui poëtae laudes restituere debent. Nonne vero Weilio id persuasum est, etiam eas res, quae pusillae videantur atque exiguae, saepe magnas existere et graves ad reficiendam auctoritatem poëtarum, quae longinquitate temporum imminuta sit? nonne Weilius quoque intellexit, in tota disciplina nostra, quae in antiquitate recognoscenda versetur, etiam id evenire et creberrime fieri, ut maiores sint res parvae, quam magnae?

Neve autem Weilius arbitretur, illud dictum, quod fortuito ei aliquando obtigit, a me urgeri, ut consulto cogitatoque in se grandibus verbis dimicare possim. Ne id Weilio videatur, gravissime precor. Nunquam enim Weili verba, quae ab eo temere dicta censeo, impugnassem, nisi haud ignorarem, his temporibus interpretandi munus a multis separari a constituendo librorum textu atque, his disiunctis, maiorem operam consumi in faciendis coniecturis, quam in sensu perspiciendo. Quodsi etiam Weilium aliquando hunc in modum locutum esse ostendo, nihil demonstro, nisi, quantum morbus increbrescat, qui interdum sanam quoque et integram mentem attingit. Attamen fortes animi, ut aiunt, morbum repellunt. Quo solatio erectus, quod ab eo morbo ut liber sim me operam daturum esse polliceor, ne prae ceteris me gloriari de sapientia mea arbitreris; nam peccamus omnes, qui studiosi sumus veritatis, neque fieret aliquando, ut peccaremus, nisi in egregiis rebus pio animo versaremur. At maximo est gaudio, quod pro re aliqua, quam plurimi aestimamus, culpam suscipimus neque nostra causa nos vitio astringimus, atque hac re efficitur, ut peccare malimus, cum res suavissimas persequamur, quam segnes esse et supersedere peccatis.

Postquam vero paucis annis ante Weili et Kecki editiones plurimis locis textum Aeschyli mutaverunt, qui fit, ut nunc quidem iam omnia absoluta et perfecta videantur? Nempe non vereor, ne Weilius, quid de se quaeram, non intellegat. Nonne enim omnis fere coniectura novam secum habet interpretationem? Porro nonne omnes coniecturae ab hominibus doctis propterea ad textum adhibentur, quod libros melius interpretari cupiunt? Quae cum ita sint, non minus a Weilio, quam a Keckio coniecturas factas esse scio, ut sensum meliorem redderent et locos melius interpretarentur, quam alii, et, si nescirem id, quod me scire affirmo, mihi otium illorum in Aeschylo positum valde displicere necesse esset. Sed Keckius dumtaxat, ubi nullas coniecturas textui inseruit, plurimis locis tragoediam secus intellegi vult atque ceteri, et, quae perturbata erant, expedivit et seriem quandam rerum confecit, ut alia nexa videretur ex alia et omnes inter se aptae. Quam rationem unam ex omnibus idoneam esse reor ad libros corrigendos, si nullis emendatis emendamus tamen quodammodo et rebus mutatis omnia optume conservare possumus. Quare, si id confitendum est, eam rationem esse medicinam meliorem, gaudere nos oportet. quod eius auxilio persaepe violentiam coniciendi removemus. Equidem, etsi minime contemno ea, quae homines docti commentati sunt de Aeschylo, tamen longum et amplum spatium relictum esse censeo interpretanti et, quae sentiat poëta, diligentius animadvertenda et eruenda esse neque vero artificiosam, laboriosam, morosam operam, quam Heusdio quidem iure aliquando Weilius opprobrio vertit, impendendam esse, ut eliciatur Aeschyli sententia, verum, ut fere, simplicissimum quidque esse neglectum arbitror.

Et mirifice mihi cum Keckio convenit de illis, quae de ingenio Aeschyli exposuit. Neque ego minus id moneo, semper magnam et ingenuam Aeschyli naturam cognosci in eius tragoediis ac, quemadmodum splendescat eius magnitudo et praeclara indoles in nonnullis locis non adeo corruptis, sic eundem vigorem, eosdem magnos animos, idem ingenium requiri in ceteris. Nunquam enim balbutit et quodammodo tenetur in verbis Aeschylus,

sed ea re maxime insignis est, quod cuncta arte colligata sunt et res rei respondet, sententia concinit sententiae. Quod verum esse ipsae ruinae nobis ostendunt, quae, etiamsi quales fuerint, ignoramus et quemadmodum restituendae sint, tamen se grandes fuisse demonstrant et, si forte reficiantur, grandes se esse velle pronuntiant.

Igitur munus suscepturus interpretandi in Aeschylo locos, qui mihi ab aliis non recte explicati esse videntur, enucleare studebo. Tum opiniones iam ab aliis labefactatas, si novis argumentis reicere potero, denuo impugnabo, ut magis confutentur, denique opiniones aliorum, quae mihi placent, si quid habeo, quo approbentur et confirmentur, rursus laudabo, ut auctoritatem earum vel magis exaggerem. Etenim, cum videam, quam incerta sit et ambigua his temporibus ratio interpretandi, ita ut saepius, quam fas est, rectae opiniones removeantur, omne argumentum magni facio, quod efficiat, ut minus dissentiant interpretes. Quare veritatem indagantibus nobis temperantia opus est ac ne exiguae quidem res contemnendae sunt. — Atque de eis, quae homines docti nuper de orationis singulis membris apud Aeschylum disceptaverunt et de versibus, qui inter se respondeant numero et usu verborum, pauca praefari debeo. Ut enim rem quamque, quam pro re sincera susceptam esse video, semper honorare consuevi, ita laborem eorum, qui ad novam rem accesserunt investigandam et eam rem, quae labore digna sit, plurimi duco, quamquam nondum cognitum habeo, num illa lex et ratio vera sit necne et, si quando vera sit, ut opinor, num omnibus partibus servanda et adhibenda sit. Rem autem, quo minus adhuc perspexi, eo pluris me facere decet. Itaque modestia utar in hac novitate rerum vel potius, ne immodestus sim ob modestiam, cogor, ut utar modestia. Nihil igitur, nisi Graecam linguam eiusque leges comparabo cum eis, quae Aeschylus Graeca lingua et Graecis versibus dicit sive dicturus est. Quam operam non metuo, ne homines docti despiciant, qui amplam operam collocaverunt atque universam in recensendis Aeschyli tragoediis.

Ut igitur rem ipsam aggrediamur, primum de oratione excubitoris, quae prooemii loco exstat, multa nobis adnotanda sunt,

qua tractata complures alios Aeschyli locos aggrediar. Et curabo, ut semper universa sententia, quae singulis rebus continetur, ad singulas res illustrandas in interpretatione redundet, quia, nisi continua series rerum memoria tenetur, metuendum est, ne quaeque res incassum abeat.

Atque confestim testificamur, nobis haudquaquam cum eis convenire, qui excubitorem istum agresti quodam sermone uti affirmant atque Aeschylum homines de plebe in scenam productos eo genere loquendi induisse, quod plebis proprium est. Cuius rei ne unum quidem exemplum interpretes suo iure statuerunt. Namque nutrix Choëphororum, quod exemplum afferunt, non magis, ut opinor, quam oratio excubitoris id verum esse probat. Verum vel excubitoris vel nutricis orationes tragoediae Atheniensis sermonem purum atque ingenuum praebent, et sicuti nutrix de morte Orestis moestissimis verbis dolorem effundit, ita custos labores suos miseriasque verissime depingit. Neque igitur ridendo opus est, verum commoveri debemus, tanquam vera sint ea et digna misericordia, quae nobis vera aegritudine animi proferuntur.

At aliam rationem interpretes nostri adhibebant. Ut enim imprimis Schneidewini et Naucki editionem Sophoclis recordemur, nullum video nuntium apud Sophoclem in scenam prodire in quavis septem tragoediarum, quin prosequantur eum adnotatione de stultitia et garrulitate eiusmodi hominum. Quid? Nonne hoc modo fit, ut, quae praeclarissime a poëta descripta sunt, qui ipse quodammodo ore nuntii utitur et narratione aliqua composita ipse res coniungit, eis nervi detrahantur tragoediae et signum humilitatis imprimatur? Infringitur vero praestantia poëtae eo certius, quo studiosius illi artem eius indagare tentant. Nam, quaeso, tales orationes, qualis in Persis est illa proelium navale describens rustici sermonis aliquod exemplum habent? an quam gravissime et magnificentissime victoria Graecorum perhibetur et quasi ab ipso poëta laudibus effertur?

Verumtamen Teuffelius ad Persarum versum 301[1]) notam

[1]) locos Aeschyli afferemus ex versuum ordine Dindorfi, Sophoclis Schneidewini, Euripidis Naucki distinctionem sequentes.

adscripsit, qua etiam ad hunc nuntium popularem sermonem referre conatur.

Porro moneo speculatorem in Septem ad Thebas in scenam productum, qui distincte unum quemque heroum significat. Utrum haecce, in quibus penitus nervi insunt tragoediae, nude et inculte dicta censes? an vero excelsis artis coloribus ornata? Qui enim haec verba agrestem barbariem redolere sentiunt, eodem iure Agamemnonis vel Clytaemnestrae orationes dirimere possunt.

Accedit, quod a tragoedia Attica, quae heroes celebrat deosque, prorsus alienum est illud humile genus loquendi, quod naturam rerum exhaurit atque ad vitae quisquilias et nugas descendit. Neque enim nostratium tragoediam moneri attinet, quae varias mortalium sortes omnibus partibus effingit et diversissimas rerum humanarum condiciones distincte exprimit. Tametsi de nostra quoque tragoedia disceptari potest, num ad artem conducat, si poëtae naturam nimia indulgentia imitantur. —

Sed haec hactenus. Excubitoris autem orationem liberam esse omni loquacitate et perversitate et omnibus ineptiis, quisquis intellegere debet, qui eius verba diligenter cognovit. Ab ipso enim initio quanta ubertas est dicendi, qnanta et copia exstat et gravitas! Gaudeo igitur, quod Wunderus egregia commentatione (progr. Grim. 1857 „de Aeschyli Agamemnone dissertatio critica et exegetica“ pg. 1—2) et nuperrime Maehlius (novv. ann. phill. tom. XCV, pg. 425) omnino urbanum esse sermonem custodis affirmaverunt. Nihilo tamen secius, quin Aeschylus et Sophocles, etsi homines de plebe non plebeio sermone induerunt, tamen eis tribuerint eas sententias, quae aptae essent hominibus, dubitari non potest.

Summa autem nox est, caligo est effusa, nocturnae pruinae destillant, omnia silent.: tum subito custos loqui coepit, qui labores excubiarum non hac prima nocte perpetitur et iam pridem tormentis exercitatus eo vehementius avet ignem incensum iri et fore sibi finem malorum. Quot autem noctes privigilavit, toties regionem frustra oculis perlustravit neque ignes illucescunt. Cu-

piditas tamen liberationis crescit, quo magis fides rei imminuitur. Ultima nox est anni neque verisimile est, signum flammarum conspectum iri, quod tam diu nequidquam requirebatur. Et custos desiderio commotus brachia tendit ad coelum, quasi oraturus deos et obseraturus:

νῦν δ' εὐτυχὴς νένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων.

Quid? Praeter opinionem preces exaudiuntur, iam exoriuntur flammae, custos laetitia exultat, Troiam captam esse liquet.

Quod facinus perfectum esse Aeschylus narraturus quanto ingenio rei gravitatem expressit! quantopere nocturnis tenebris animi spectantium intenduntur et sancto quodem horrore moventur! et, cum servum illum in scenam producat eiusque molestias exponat, quantopere id efficit, ut Troiae excidium vehementius exspectemus, qui spem ac desiderium hominis miserrimi animo prosequamur. Hoc igitur singulare testimonium videtur artis Aeschyleae, qua Homeri excubitor in primordio Agamemnonis repraesentabatur atque ita effingebatur, ut ad rem idoneus esset.

At ei, qui excubitoris orationem tanquam hominis agrestis dirimunt neque magnificentiam huius initii intellegunt, se non solum ipsum initium, verum etiam cum initio totam tragoediam Agamemnonis infringere tandem animadvertant.

Deinceps in primo versu plerisque particula *μέν* offensioni erat, utpote cui nullum *δέ* responderet. Itaque mire interpretati sunt, qui aliquid omissum suspiciebant, quod illi *μέν* contrarium esset, velut Engerus, Schneidewinus. Wunderus autem, quem Engerus in Klauseni editione sequitur, versum 20 *νῦν δ' εὐτυχὴς γέν.* seq. responsum esse demonstrat.

Quid vero opus est eis auxiliis? Istud *μέν* saepenumero initio tragoediarum usurpatum novimus. En versus primus in mentem mihi venit Promethei:

χθονὸς μὲν ἐς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον sq.

tum Persarum:

τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων sq.

et Supplicum:

Ζεὺς μὲν ἀφίκτωρ ἐπίδοι προφρόνως sq.

deinde etiam Helenae Euripidis:

Νείλου μὲν αἴδε καλλιπαρθένου ῥοαί sq.

atque Hippolyti:

πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος
θεὰ κέκλημαι Κύπρις sq.

denique Sophoclis Philoctetae primordium:

ἀκτὴ μὲν ἥδε τῆς περιῤῥύτου χθονὸς sq.

Nauckius igitur, qui ad hunc Philoctetae versum responsum quoddam excogitat, certissime refutatur Promethei primordio, quod supra commemoravimus, simillimo.

Quare *μέν* omnibus his locis vim principalem habet determinandi, ut enuntiatum, in quo ponitur, magis oculis subiciat, quemadmodum apud nos particulae „iust, eben, nun“ usurpantur.

Quamquam enim *μέν* — *δέ* particularum iunctio est creberrima, tamen *μέν* non minus liberum est a *δέ*, quam *δέ* sine *μέν* in fere omnibus orationibus vagatur. Quae res maxime per *μέν* — *δέ* approbatur, si sententia distributiva incedit, ubi *μέν* quidem plane ignorat *δέ*, quod succedit, *δέ* se penitus accommodat isti *μέν*, quod antea positum est. Cf. igitur versus 694 et 701 Persarum et Persarum 65—73.

Comparari autem potest cum verbis: *θεοὺς μὲν* sq. primordium quoque chori primi Agamemnonis:
(vers. 40)

δέκατον μὲν ἔτος τόδ', ἐπεὶ sp.

quae verba praeter alios interpretes ne Panzerbieterus quidem (Philol. tom. XII, pg. 426) recte exposuit.

At nescio an multi mirentur, quod non Sophoclis Aiacis primordium attuli, ubi haecce leguntur:

Ἀεὶ μέν, ὦ παῖ Λαρτίου, δέδορκά σε
πεῖράν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.
καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ὁρῶ
Αἴαντος, ἔνθα τάξιν ἐσχάτην ἔχει. sq.

Nonnulli, ut reor, iam causam perspexerunt, ob quam antea hoc exemplum omisimus. Num enim fallor, quod alienam huius exempli rationem iam intellectam esse suspicor? Namque istud

καὶ νῦν cum ἀεὶ μὲν sq. coniunctum esse patet. Nauckius igitur ad Aiacis locum citavit Agamemnonis versus 587—598 a Clytaemnestra recitatos:

ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο

— — — — — — — — —

καὶ νῦν τὰ μάσσω μὲν τί δεῖ σ' ἐμοὶ λήγειν;

deinde attulit Lucian, dial. mar. 8, 1:

πάλαι μὲν τὸ τῆς Ἰνοῦς παιδίον ἐπὶ τὸν Ἰσθμὸν ἐκομίσατε καὶ νῦν sq.

Quibus addimus exemplum ex Eumenidibus petitum, ubi manes Clytaemnestrae haec dicunt in vs. 106 sq.

ἦ πολλὰ μὲν δὴ τῶν ἐμῶν ἐλείξατε
χοάς τ' ἀοίνους νηφάλια μειλίγματα
καὶ νυκτίσεμνα δεῖπν' ἐπ' ἐσχαρᾷ πυρὸς
ἔθυον, ὥραν οὐδενὸς κοινὴν θεοῦ.
καὶ πάντα ταῦτα λαξ ὁρῶ πατούμενα.

Quae prorsus similiter se habent, tametsi in altero membro vox νῦν deest. Cf. praeterea Aesch. Eum. vs. 64—67 et Eur. Ion. 1375—1380. Attamen καὶ νῦν ad μέν aliquod non semper referendum esse, permagna locorum multitudo edocet.

Sed nostro loco alicubi καὶ νῦν exstare, quae ad μέν referenda sint, et esse μέν, cui καὶ νῦν postea concinat, prorsus affirmo. Namque Agamemnonis vs. 8 cum primo versu coniungere debemus:

καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον sq.

Videlicet iam omnia recte procedunt atque etiam nonnullis, quae in his versibus dubia erant, egregiam lucem afferri statim videbimus.

Etenim Wunderus l. c. de verbis φρουρᾶς ἐτείας μῆκος disseruit atque accusativum temporis esse decrevit. Cuius opinioni, licet nunc plurimi homines docti assenserint, tamen iusta causa deerat, quae eis obiceretur, qui minus accusativum temporis, quam appositionem verbis contineri dixerunt. Verum, posteaquam nunc demonstravimus, καὶ νῦν saepenumero cum μέν coniungi et ea potissimum condicione id fieri, si qua multitudinis

sententia vel crebritatis antecessisset, concedendum est, verisimile esse, quod et in priore enuntiato *μέν* invenitur et notio adsit longinquitatis et postea *καὶ νῦν* incedat, *φρουρᾶς ἐτείας μῆκος* etiam hanc ob causam esse accusativum temporis. Qui accusativus quid offensionis habeat, nescio.

Porro de verbo *πόνων*, quae Wunderus l. c. pg. 3 constituit, non incommoda excubitoris, sed domus Atridarum miserias indicari, omni modo improbanda esse paret. Quare non longus ero de re apertissima.

Φρουρὰ ἐτεία vero spectat ad oraculum Calchae, quod Homerus docet in Iliade (lib. II, vs. 301—329), etsi ab Aeschylo eius nulla mentio facta est.

Quod oraculum, quamquam non commemoratur ab Aeschylo, in animo semper haberi et ubique respici constat et miror, quod Ahrensius in commentario suo (Philol. suppl. I, pg. 219—222) et alii, postquam Wunderus eam rem lucide explanavit (l. c. pg. 4. 5), id verum esse non senserunt.

Sane et sagacissime et simplicissime Ahrensius vocabulum *ἐτεῖος* exposuit, quam tamen opinionem non primus in medio posuit, sed multis annis ante iam ab Hainebachio in novv. ann. phill. tom. XI denotatam esse cognovi. Quamquam novis et perspicuis argumentis Ahrensius opinionem illam instruxit. Repeto igitur, Ahrensi opinionem et sagacissimam esse et simplicissimam.

Namque cur *φρουρὰ ἐτεία* non dictum esset de eis excubiis, quae aguntur totum per annum? Prorsus ita dici potest. Quodsi id comprobatur, etiam eas excubias per *φρουρὰ ἐτεία* significari credi potest, quae complures annos manent, dummodo per totum annum occupentur neque aliquando intermittantur.

Attamen nonnunquam fit, ut simplicissima concidat interpretatio, si causae quaedam ante oculos iacent, quae non minus simplices sunt et illam respuunt. Igitur, cum Ahrensius laudandus sit propter simplicitatem iudicii, etim magis laudandus esset, si non fecisset illud arbitrium et observavisset simplicitatem rerum.

Res autem, quae respiciendae sunt, sic complectimur:

Homerus Calcham praedicentem facit, decem

annis peractis, Troiam expugnatum iri. Tum narrat idem Homerus, excubitorem aliquem ab Aegistho unum per annum (εἰς ἐνιαυτόν Hom. Od. IV. 526) iussum esse speculari. Denique causam, cur ille excubitor unum annum vigilias habuerit, nullam praebet.

Quibuscum rebus haecce comparari oportet:

Aeschylus quoque anno undecimo Troiae excidium evenisse vult. Aeschylus tamen Calchae praesagii nullam mentionem facit. Deinde idem Aeschylus excubitorem adhibet, qui dicit, se excubias egisse, quas „ἐτείας" appellat.

Quocirca informari possumus evidentius? Quaeri oportet, num Aeschylus Homerum secutus sit et Aeschyli quoque excubitor unius anni vigilias egerit, an Aeschylus ea ignorare voluerit, quae finxerat Homerus. Quae eum ignorare voluisse nego; nam, etiamsi Aeschylus id ignoravit, non ignoraverunt Athenienses. Quod vero rem non uberius patefacit, praecipuum est argumentum, eum secutum esse Homerum. Etenim, si Aeschylus neglexisset Homerum et ea, quae Ahrensius aut aliquis ceterorum ab eo dici suspicatur, exprimere voluisset, multo magis id fusius explicare debebat, quam si sequebatur Homerum. Nonne res est apertissima? Enimvero semper licitum erat poëtis tragoediae Atheniensis, res aliter effingere, atque Homerus; attamen si quid mutaverunt, non clam, sed palam id mutari necesse fuit, ut scirent homines neque nimia sagacitate opus esset ad investigandam poëtae opinionem!

Porro Aeschylus eodem iure Calchae praesagium praeteriit, quo Homerus causam omittit, ex qua suo speculatori unius anni excubias tribuerit. Quam causam quisquis, ut opinor, satis intellexit aut, si curiosius sciscitetur, non omnino intellexit. Videlicet, cum Calchas decem annis praeteritis Troiam interituram esse praediceret, anquiri potest, qui fiat, ut iam decimum per annum speculator vigilias agat. Quodsi sic interpellamur de Homero et Aeschylo, nullum refugium est, nisi ad libertatem

quandam, quae eius modi vitia poëtarum facile excusat et omni aetate excusabit. Quocunque autem modo res se habent, apparet unius anni speculatorem fictum esse non minus ab Aeschylo, quam ab Homero.

Ergo, si id approbaverimus atque universam seriem sententiarum, quae est in prooemio, diligenter comprehenderimus, fiet, ut locum quendam prooemii recte interpretemur, quem nemo adhuc satis illustravit.

Versus enim, quos dico, sunt 20—21:

νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων,
εὐαγγέλου φανέντος ὀρφναίου πυρός,

quae verba fere omnibus interpretatione non indigere videbantur. Si tamen verba interpretari studebant, statim de verbis dubitaverunt, ut Karstenius in suo commentario. Et, nisi cum ceteris verba conspicue coniungi potuerunt, sane necesse fuit dubitari et magis mihi placeret, si reliqui citius dubitavissent, quam omnino tacuissent.

Karstenius igitur percontatur, quod certissime quaeri oportet, qua de causa ille custos, qui nequidquam multas noctes ignis lumen desideraverat, subito „ut nunc sibi finis malorum obtingat" optare possit et ita optet, ut verbis eius ilico ipsae flammae obsequantur. Cum nihil haberet Karstenius, quo dubitatio ista removeretur, se recte dubitavisse suspicatus est et verba tanquam interrogantis componenda esse putavit.

Verumtamen adest ea causa, in quam Karstenius non incidit, et, si ea memoria tenebimus, quae supra commentati sumus, omnia patent. Etenim res, quae nobis considerandae erunt, sic habebis:

> Custos per decimum annum excubias agit. Iam autem decimus annus praeteriit, quoniam ipse se annum pervigilasse narrat et chorus senum postea idem pronuntiat (vs. 40). Calchas vero decem annis interiectis interitum Troiae eventurum esse praedixerat.

Nonne res facillime expediuntur? Nimirum nunquam custos

se absolutum iri molestiis magis sperare poterat, quamquam eius spes longinquitate temporis magnopere imminuebatur, quam hoc temporis puncto. Etsi autem Homerus et Aeschylus excubias fuisse per annum narrant, quasi iam ante decimi anni exitum Troia expugnari possit, tamen eo tempore, quo praetermisso iam nulla potestas erat sperandi, spem etiam auctam fuisse apparet, quae iam antea non defuerat. Nam, nisi hoc anno vigiliarum peracto mala custodis finem habebant, custodi paene desperandum erat, se unquam liberatum iri. Num vero Clytaemnestra etiam post eius anni exitum custodi excubias impositura fuerit, nescimus neque ad rem conducit. Attamen id certissime scimus, eam rem, cuius causa vel a Clytaemnestra vel ab ipso poëta custodi unius anni excubiae impositae erant, illi, qui frustra antea exspectaverat, post exitum anni, si diutius expectaverit, semper fuisse exspectandam.

Itaque addendum est, *νῦν δέ* non respondere illi *μέν*, quod in primo versu legitur, sed, cum ad primum versum spectavisset *καὶ νῦν* in vs. 8, ut supra ostendimus, rursus *νῦν δέ* ad verba *καὶ νῦν* referenda esse. Atque hunc ordinem rerum, quem ipsa res praescribit, prudenter servandum esse arbitror, ita ut, si forte in prooemio id contingat, ut versus inter se numero respondeant, ad hunc ordinem commentatio rei accommodanda sit.

Et sequuntur iam haec:

— — *ἦν κοιμώμενος*
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν κυνὸς δίκην
— — — — — — — — — —,

ubi de verbo *ἄγκαθεν* omnes fere editores disceptaverunt. Namque hoc dubium relinquitur, num *ἄγκαθεν* per „*ἀνέκαθεν*“ vel „supra“ intellegendum sit, an idem dicat, quod in Eum. vs. 80: *ἄγκαθεν λαβὼν βρέτας*, id est ulnis vel in ulnis.

Quorum illud laudant cum scholiasta Blomfieldus, Schneidewinus (cf. etiam Philol. tom. III, pg. 118), Wunderus, Keckius, Weilius, Heusdius, hoc tuetur Godofredus Hermannus, Klausenius, Hartungius, Engerus, Karstenius, quibuscum valde consentio.

Qua de re ut rectum arbitrium faciamus, antea consideremus

oportet, quemadmodum verba *κυνὸς δίκην* exponenda sint. Quod enim Clytaemnestra in vs. 607 se ipsam *δωμάτων κύνα* atque Agamemnona in vs. 896 *τῶν σταθμῶν κύνα* appellat, non huic loco quadrat. Neque magis ad rem aptus est Choëph. vs. 446:

μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκαν,

ubi non de cane omnino, sed de cane scabioso dicitur. At canis similitudinem semper abiectum quoddam habere repudiandum est. Unum denique exemplum exstat eiusdem similitudinis in Agamemnonis vs. 1094:

ἔοικεν εὕρις ἢ ξένη κυνὸς δίκην
εἶναι sq.

quo loco videmus, propriam aliquam canis virtutem adhibitam esse ad comparationem.

Atque istud *δίκην*, quod similitudinis causa usurpatur, non solum persaepe exstat apud Aeschylum, verum etiam haud raro beluae alicuius similitudinem illustrat. Velut *δίκαν χιμαίρας* in vsu. Ag. 232, *χελιδόνος δίκαν* in vsu. 1050, *κύκνου δίκην* in vsu. 1444, *κόρακος δίκαν* in vsu. 1473, deinde *νεβροῦ δίκην* et *λαγὼ δίκην* in versibus Eumenidum 26. et 111, postremum fragm. 301 *θύνου δίκην* (ed. Nauckius). Adiungimus autem, quovis horum similum eos, qui comparantur, ita descriptos esse, ut vel verbo finito vel participio aliquo similitudo planius significetur et in ipsa sententia insit, quae exponitur, nec vero in universum valeat.

Et scholiasta in vs. 3 Agamemnonis ad *κυνὸς δίκην* haecce adscripsit: *πρὸς τὸ φυλακτικὸν καὶ φιλοδέσποτον.* Quam opinionem omnino comprobabo.

Ut enim *κυνὸς δίκην* cum ceteris coniungamus, id dicitur, custodem iacere vigilandi causa in tectis Agamemnonis ut canem *(φρουρὰν κοιμᾶσθαι)*. Alacritas autem canis id habet, ut una et dormiat et semper vigilet, qui caput ad pedes priores remittat et pronus ad ventrem, ut quadrupedes, iaceat, cum homines in tergo recumbant et alto somno fruantur. Quapropter, ut canis instar vigilet, custos sibi somnum capiendum esse dicit ut quadrupedi vel cani et, quoniam homo sit, se omnino somno supersedere affirmat.

Nam si imaginem istius custodis quasi cogitatione determinaverimus, id certissime concedendum est, eum non stare in tectis neque recubare, sed pronum iacere, quamobrem mihi persuasum est, Aeschylum non solum vigilantiae canis in universum, sed potissimum eius rationis recordatum esse, in quam canis vigilet.

Maxime igitur comparandum esse statuo illud simile, quo Iphigenia cum caprea contenditur in vs. 232, ubi non solum propterea caprea affertur, quod hostia est, verum etiam inhumanitas indicatur huius immolationis ea re, quod homines, qui erecto corpore incedunt, proni (*προνωπῆ* enim Aeschylus Iphigeniam fuisse dicit) ut caprea, tollantur ad necem. Quam rem ab interpretibus non perspectam esse moneo.

Iam vero illud *ἄγκαθεν* interpretemur. Videlicet, si per *ἀνέκαθεν* explicaverimus verbum, sententia patet, sed tamen metuo, ne Aeschyli amittatur conspicua quaedam sententia, quae praesertim cum audacia tum etiam veritate imaginis nequaquam Aeschyli non consanguinea sit. Sin vero *ἄγκαθεν* hunc in modum intellexerimus, ut custos caput in brachiis ponat, multo magis res mihi placebit.

Etenim *ἄγκαθεν φρουρὰν κοιμώμενος* una et custos commodius munere fungitur, quoniam corporis lassitudinem sublevat aliqua ex parte et id efficit, ut vim somni arceat. Igitur capite ad brachia misso custos sibi eam quietem adsciscit, quae secum fert vigilantiam.

Haec igitur sunt, quae mihi videntur, postquam identidem omnia mecum reputavi. Et velim, quae omni diligentia perscrutatus sum, etiamsi ilico non placeant, ilico non ea reiectum iri ab aliis, priusquam accurate rem contemplati sint.

Si tamen opinio non accepta foret et illud *ἄγκαθεν*, quod pro *ἀνέκαθεν* exstet, ei praeferretur, iam video, quomodo vel ea condicione res melius explicari possit. Scilicet hac opinione probata custos dicit, se totum coelum siderumque cursum facile cognoscere (*κατεισδέναι*), quippe qui in altis textis iaceat et cuncta libere circumspiciat. Quam sententiam haud scio an Keckius versuum Germanorum interpretatione expressurus sit. Accedit,

ut hac opinione accepta paullulum textus mutandus sit et pro στέγαις cum Schneidewino scribendum sit στέγης.

Atqui, si quis propter meam ipsius opinionem, quam fusius exposui, me interpellaret et quaereret, quo iure custos totum per annum caput se in brachiis institisse narraret (cf. Weili adnotationem ad vs. 3 adscriptam) mecum ilico eam quaestionem, ut opinor, refelles.

At, quod illa nimis curiose quaesita erant, nonne, quaeso, multi interpretes res longe difficiliores imposuerunt custodi per annum? Quamquam enim Klausenius primus ostendit, interdiu ignes cerni non potuisse, tamen permulti homines docti nondum mente comprehendisse videntur, nullo modo potuisse excubitorem interdiu vigilare. Nam tantum abest, ut in editionibus recte de hac re argumententur, ut rem maxime memorabilem praetermittant atque etiam coniciendo id refutent, quod argumentis munire debebant. Velut Engerus ne unum quidem verbum in minoris editionis adnotationibus de ea re promit et Keckius, etsi nocturnas tantum fuisse vigilias brevi adnotatione sub textu indicat, se ipsum refellit, cum postea solem ab excubitore memorari dicat. Certis vero et dilucidis verbis rem nemo constituit. An res nimis pusilla videtur? At mihi omnia, quae ad rem explicandam opus sunt, praecipue digna videntur, quae denotentur.

Num ideo, si Klauseni argumentum omiserimus, ceteroquin id fieri potuit, ut custos interdiu specularetur? Permulta sane et permagna possunt poëtae in rebus fingendis et excogitandis et plurima eis permittuntur, sed tamen nunquam excedere possunt et violare naturam humanam. Quonam pacto scilicet homo aliquis per totum annum somno carere potest? quo iure susceperit continuas excubias per annum? Porro omnia, quae custos refert, ad noctem spectant et noctis incommoda.

Postremum quaerendum est, num is custos, qui nocturnas tantum excubias subierat per annum, eodem iure dicere potuerit, se per annum speculatum esse ex tectis. Quod non recusandum est neque non minus ad eum istud aptum esse denegandum.

At enim qua ratione nuntius redditus esse videtur, si Troia urbs diurno tempore expugnabatur? Quaestionem satis morosam instituimus; verum, quandocunque Troia urbs capta est, nuntium huius eventus per ignem noctu relatum esse verisimile est; quamobrem, si noctu capiebatur, eadem nocte signum datum esse, sin vero interdiu periit, ea nocte, quae sequebatur, ignes incensos esse liquet.

Quod autem Ludwigius (cf. Philol. tom. XVII, pg. 183) *ὃς κοιμώμενος* pro verbis *ἦν κοιμώμενος* supposuit, nullum argumentum agnosco emendandi. Sed nescio, cur interpretes omnes coniecturam spreverint a Sandvossio in Phil. tom. XII prolatam, ex Medicei scriptura, qui *δ' ἦν κοιμώμενος* praebeat, scribendum esse *δὴ 'γκοιμώμενος*. Namque haec non modo verisimilitatem habent ex scriptura codicis, verum etiam ad cetera verba optime applicantur: particula enim *δή* iuxta *μῆκος* et eiusmodi verba creberrime exstat et ab *ἐγκοιμώμενος*, quemadmodum Karstenius quoque scribi vult, verba *στέγαις Ἀτρειδῶν* facile pendent.

Quibus comprobatis, post *κυνὸς δικήν* interpungendum est et a *κάτοιδα* sq. nova incipit sententia, id quod nihil molestum habet.

Atque ita pergit Aeschylus:

ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι
[ἀστέρας ὅταν φθίνωσιν ἀντολάς τε τῶν.]

Quorum versum ultimum ilico unculis removi, quem et corrumpere antecedentia et ipsum corruptum esse facile conceditur. Keckius tamen, qui versum 7 interpolatum esse negat, quia nullam ansam cernat interpolandi, lacunam suspicatur, quam sic fere explendam existimat:

— — — — — — — — — — —
λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντες αἰθέρι
ἀστέρας [ἀκμῆτας, οἵτε σημαίνουσ' ἀεὶ
μῆνάς θ'] ὅταν φθίνωσιν ἀντολάς τ' ἐτῶν.

Namque *ἀντολάς τε τῶν* mutat ex coniectura in *ἀντολάς*

τ' ἐτῶν atque huius opinionis subsidio cetera inserit, quae accommodat ad scholiastae interpretationem: δυνάστας] τοὺς δυναμένους παρὰ τὰ ἄλλα σημαίνειν τοὺς καιρούς. Ceteroquin cf. Kecki commentarium editioni Agamemnonis additum pg. 209—10.

Quae igitur iam leguntur? Scilicet solem lunamque splendidos principes nominari, qui temporum vicissitudinem consignent, intellegitur. Nonne sententia simplicissima est? Immo vero, etsi sol et luna aptissime indicarentur Aeschyli verbis tanquam principes coeli, ab hoc loco sententiam alienam esse meminerimus, si ea recordati erimus, quae a nobis iam dudum exposita sunt.

Neque enim Kecki opinio ceterum ferri potest. Etenim ortum interitumve annorum ille quidem refert, qui complures annos sub divo permanserat, velut Prometheus, non refert custos, qui unius anni munere functus erat.

Alii autem interpretes alia ratione versum retinere conantur, velut Th. Bergkius in Phil. tom. XIV, pg. 180 suadet, ut scribatur:

τηρῶ Ϝ' ὅταν φθίνωσιν sq.,

Maehlius in novv. ann. tom. XIV proponit:

— — — — ἀντολὰς Ϝ' ἀθρῶ,

cum ad αἰθέρι respiciat, quod in versu antecedente ultimum locum tenet. Cf. etiam Weilium in novv. ann. XCV, pg. 291.

Nec minus Ahrensius versum defendit, quem sic coniciendo mutat:

ἕστοι Ϝ' ὅταν φθίνωσιν sq.

Quamvis autem magna sagacitas sit, quam illi impendunt, versum tamen conservare non potuerunt, cuius si initium sanaverunt, aegrotat exitus, sin vero exitum emendaverunt, initium non ferendum est. Quis tandem ἀντολάς τε τῶν defenderit, quae durities loquendi Schneidewini exemplis nullo modo approbari potest. Profert enim Schneidewinus Supplicum versum 358. 439 et Sept. 197. 385, quae exempla bene testantur, saepius articulum sine substantivo adhiberi in tragoedia, sed non probant, articulum nudum in ultimo loco alicuius enuntiati exstare. Sed, quod ad ἀστέρας attinet, hoc verbum, posteaquam ἄστρων

antecessit et λαμπροὶ δυνάσται nominatae sunt stellae, non modo non aptum est ad sententiam, sed ne ferri quidem potest.

Denuo igitur versum consideremus, quem Valckenarius, Blomfieldus, Weilius (vide „addenda et corrigenda" in ed. Eumenid. pg. 125), Wunderus, Engerus repudiant, Godofredus Hermannus et Schneidewinus neque emendant neque recusant.

Nimirum custos ingentem stellarum numerum illustrat effusa contionis multitudine et astra, quae fulgore praecellunt, principes ducesque esse fingit, qui cum densis illarum catervis horas adducunt.

Et λαμπροὶ δυνάσται ἐμπρέποντες αἰθέρι principes sunt splendentes, qui fulgore coelo imperant, neque „splendentes principes, qui in coelo splendent", quomodo Keckius verba explicat. Cf. autem Choëph. 355:

φίλος φίλοισι τοῖς ἐκεῖ καλῶς θανοῦσιν
κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων
σεμνότιμος ἀνάκτωρ sq.,

ubi simillime ἐμπρέπειν usurpatur de splendore imperii.

Porro contio stellarum potissimum per principes, a quibus educitur, explanatur ab Aeschylo, principes nominantur praecipue, quod illis imperant, et alterum altero augetur. Mutatis autem rebus Homerus principes comparat cum stellis, quae praeter ceteras fulgent. Cf. Il. ε vs. 4—8, χ vs. 26—32.

De origine autem huius emblematis permulta ac varia disputata sunt, quorum quidque fortasse rectum est, attamen nihil certe demonstratur. Quodsi emblema aliquod exoriri potuisse ostendimus, ut opinor, satis id est, quoniam necessitatem originis vix unquam statuemus, cum praesertim variae adsint causae, quarum num aliqua una ex omnibus probanda sit, nescimus. Quare si originem disquirimus, nihil declaramus, nisi interpolari aliquid potuisse neque interpolatum esse demonstravimus. Id tamen comprobarem, ἀστέρας ad λαμπροὺς δυνάστας adscriptum fuisse; de ceteris autem maiore, quam alii, verisimilitate Engerus argumentatus esse videtur in novv. ann. phill. tom. LXX.

Ipsam denique sententiam poëtae versu 7 interrumpi magis videbimus, si iterum contemplati erimus, quae disceptatione ab-

soluta nobis relinquantur. Neque autem, ut Keckius argumentatur, poëta, postquam a simplici ad ornatum sermonem se convertit, redire debet ad inornatam narrationem, quia extemplo ornato dicendi genere utitur et per *ἄστρων νυκτέρων δμήγυριν* simile quoddam inchoat, quod per *δυνάστας* sq. finem habet.

Quocirca versus 7 delendus est, quem etiam Achilles Tatius ignorat.

Antequam autem pergimus, de verbo *κατειδέναι* cum Ahrensio pauca disceptari opus est, qui custodi complurium annorum excubias etiam propterea tribuit, quod uno anno custos stellarum cursus atque coelum non satis cognoscere potuerit. Quid? Num fugit Ahrensium, custodem se accurate coelum cognovisse dicere, quod sibi accuratius, quam fas est, coelum cognovisse videtur? et, ut opinor, custos sibi nimia patientia coelum aspexisse videtur! Itaque in *κατειδέναι* levis quaedam acerbitas inest (velut nos dicimus: „wohl kenne ich").

Iam vero sic pergit oratio:

καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον
αὐγὴν πυρὸς φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν
ἁλώσιμόν τε βάξιν· ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ·

Ἁλώσιμος βάξις autem vel nuntius, qui Troiae excidium refert, etsi liberius id dicitur ab Aeschylo, tamen non caret exemplis. Comparari enim potest vs. 261—2:

εὐαγγέλοισιν ἐλπίσιν θυηπολεῖς,
κλύοιμ' ἄν — sq.

neque minus citarem vs. 50, nisi eximia Panzerbieteri interpretatione, quam libenter accipio, is locus prorsus aliter se haberet. Ceteroquin cf. Schneidewini adnotationem.

In sequentibus autem scribendum esse:

ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.

neque *κρατεῖν* et *ἐλπίζω*, testimonio est ea res, quod nullo adhuc verbo custodem a Clytaemnestra speculari iussum esse narratum est, id quod Aeschylo vix praetereundum erat. Sed

Karsteni opinionem, qui κρατεῖν idem esse, quod τετελεσμένον εἶναι dicit, omnino non ferendam esse arbitror.

De interpretatione vero me pudebat, quod simplicissimam Aeschyli sententiam diu non perceperam, quae sero mihi in mentem venit. Quamquam solatio id erat, quod omnes interpretes a vero longe aberrare videntur. Quaenam causa est, cur de participio ἐλπίζον dubitent? Nullam cerno neque ullam pronuntiant, attamen dubitant, velut in ephem. liter. cath. a. 1864 hoc participium temere impugnatur.

Sed quae est res, cuius spe Clytaemnestra commovetur? Num Troiam urbem ab Achivis expugnatum iri sperat? Non rei id aptum est, quia non ignoramus, Clytaemnestrae non tam interesse Troiam expugnari quam cavere Clytaemnestram ab Agamemnone, si Troia expugnata rediret, et consilium capere mariti interficiendi.

Quid igitur? quid sperat Clytaemnestra? Nonne ipse Aeschylus rem nobiscum communicavit? nonne res ipsis verbis aperta est? quid? nonne nihil opus est, nisi ut animo cernamus, quae videmus oculis, et comprehendamus mente, quae legimus? Namque ita Aeschylus:

ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.

Nempe excubitor narrat, has vigilias sustinere se iussum esse a Clytaemnestra, quae nunc imperium obtineat et virili animo se obtenturam esse sperat.

Quibuscum comparetur exitus prooemii, ubi custos in vs. 34 Agamemnona vocat dominum aedium et haec addit:

τὰ δ' ἄλλα σιγῶ sq.

Clytaemnestram designans, quae ipsa dominari cupiat. At ne de hoc quidem loco interpretes animadverterunt, quemadmodum compositus sit ab Aeschylo, neque, quam ad rem τὰ ἄλλα praecipue referri debeant, intellexerunt.

De versibus autem, qui nunc sequuntur, uberiorem quaestionem institui opus est:

εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω

εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην
ἐμὴν· φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ —
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
κλαίω τότ' οἶκον τοῦδε συμφορὰν στένων,
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.

Quod enuntiatum nullum esse et, si omnia agnoscuntur et probantur, pro anacolutho, quod dicimus, ducendum esse sentimus. Sane res ingratissima esse videtur, quod initio tragoediae lex et ordo summa levitate negleguntur, quae tamen nondum motu aliquo actionis excusatur. Atqui, cum difficultatem omnem uno verbo *ἐμήν* emendato statim remotam esse liqueat, naviter meditemur oportet, qua ratione labem exstinguamus. Et iure haeremus in verbo *ἐμήν*, quod non modo eum locum enuntiati tenet, in quo verbum finitum exspectatur, verum etiam per se inaniter positum est et omnino nihil dicit. Praeterea *εὐνήν*, a quo versus antecedens incipit, iterum librarii neglegentia in primo huius versus loco scriptum ac postea in *ἐμήν* mutatum esse suspicari licet.

Itaque interpretes operam navabant, ut illo verbo correcto locum restituerent variisque modis vocabulum *ἐμήν* vel emendaverunt vel expulerunt. Velut Weilius *ἐμοί* substituit et pro *ἔχω* in vs. 12 *ἔχων* legi vult, quibus coniecturis id efficit, ut ab *ἐμοὶ φόβος γὰρ* sq. — usque ad *παραστατεῖ* uncis verba a ceteris discernantur, quae per *ὅταν* et *εὖτ' ἄν* dupliciter inchoantur.

Quisnam, precor, non recusabit medicinam, quae, etiamsi non parcit traditae lectioni, illa minime expellit, quae expelli debent? Enimvero cautionem, qua hoc loco Weilius lenissime codicis scripturam aggreditur, nihil ab audacia diversam arbitramur, quandoquidem in nullis firmis argumentis nititur et prorsus textum immutat, quamvis modestus sit in verbis mutandis. Immo vero manu strenua, quae certis argumentis bene sese instruxit, vel maiora tentare ne nos pigeat, dummodo perspicuas eorum causas suppeditemus, quae ostendere conamur.

Nec vero minus spernenda est Kecki recensio, qui peccatum imprimis in *εὖτ' ἄν* latere iudicat, pro quo sine iusta causa

ταύτην supponit, tum pro *ἐμήν*, ut Weilius, *ἐμοί* scribendum statuit, quod tamen cum *εὐνὴν ἐπισκοπουμένην* coniungit.

Atque praesertim, quae antea de nocturnis excubitoris vigiliis decrevimus, nunc muniri attinet, cum argumentum quoddam refutabimus, quod Keckius ad rem suam magis approbandam adhibet. Interrogat enim Keckius, quo iure is custos dicat: *εὖτ' ἂν δ' εὐνὴν ἔχω*, qui perpetuum per annum in eodem cubili iacuerit. Nonne profecto idem Keckius in pg. 49 editionis adnotat, nocturnas fuisse custodis excubias? Equidem custodis sermonem his fere determinabo: „si sub noctem" inquit „cotidie ad cubile meum accesserim, quod tempestatibus nocturnis vexatur —".

Ubi iam loci depravatio, quominus pergamus, nos prohibet.

At longe illis Kecki et Weili opinionibus praeferrem Dindorfi remedium, qui pro *ἐμήν* verbum finitum submittendum esse constituit, nisi ipsum verbum, quod proponit, omnibus argumentis nudum esset. Dindorfius scilicet verbum *λύζω* scribendum statuit. Qua ratione seriem rerum planius compositam videri infitiabor.

Tum autem Hartungius *ἄλην* submittit pro *εὖτ' ἄν* et *ἀεί* pro *ἐμήν*, quae bonam sane sententiam reddunt, attamen summa temeritate mutata sunt.

Denique Karstenius in hunc modum scribit:

εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
ἐμὴν ὀνείροις οὔκ ἐπισκοπουμένην
εὐνήν, φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὲν βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὀκνῶ.
ὅταν δ' sq.

Cuius de opinione non modo idem arbitror, quod iudicavi de Weili audacia, verum etiam, quo iure ea inter se obiciantur, quae per *μέν — δέ* obicit, me ne suspicari quidem affirmo. Ceterum cf. Karsteni commentarium pg. 121.

At enim nonne verbum quoddam reperiri potest, quod nimis obscuram seriem verborum subito patefaceret? Quare denuo, quae tradita sunt, nobiscum reputemus et contemplemur.

Unde haecce quaerere velim: quae tandem sunt, quibus per *φόβος γὰρ — παραστατεῖ* causa affertur? Nam custodem ob eam rem gemere et flere *(λύζειν)*, quod timor eum impedit, quominus dormiat, nulla sententia est, quae desideratur. Consulto enim iste somnum arcet atque id potissimum timet, ne forte dormiat; neque eum timor aliquis deterret, cum ad somnum proficiscatur, ne capiat somnum. Quid igitur est, quod requiritur? Nimirum certissime custos, quia metuit, ne somnus oculos derepente superveniat, se praesidio aliquo cingit, quod somnum violenter propulset; id, quod legitur in vs. 17:

ὕπνον τόδ' ἀντίμολπον ἐκτέμνων ἄκος

(nam sic ex opinione Ahrensi scribimus pro *ἐντέμνων)*.

Nonne igitur apparet, quo protinus cursum nostrum teneamus? Etenim illud somni praesidium, quod sibi custos adsciscit, eo verbo, quod requiritur, contineri liquet.

Sed rem quandam aliam exquirimus: nonne summopere obscura et abdita res est, quod excubitor actutum haecce recitat verba: „*ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ* —"? quamobrem enim subito mentio fit canendi? Sane verba exponuntur aliqua ex parte, verum, ut opinor, longe melius exponi possunt. Etenim non diutius ea, quae sentimus, abscondi oportet et iam dudum omnia patent. Pro *ἐμήν* enim verbum *ᾄδω* substituo.

Idcirco custos iam haecce enarrat:

> „Cum autem in cubili consederim, quod nocturnis roribus imbribusve cruciatur, cantare incipio, quia vereor, ne in fessos oculos somnus ingruat, et is timor me a somno tuetur; sed, quo tempore cantica susurrare et laetitia gestire videor, domum Atridarum intimo pectore deploro, quae novis calamitatibus adurgetur."

Quam dilucida nunc existit oratio! quam concinna redditur et omnibus partibus conspicua series sententiarum! Nonne, quae antea obscuriora et quodammodo irrita erant, ea vel diserta eloquentia nunc insignia esse cernis? Nonne custos laborum, quibus

afflictatur, tristissimam molem quam verissime depingit, qui inter noctis tempestatem se abdicat somno et, quo facilius sustineat negotium speculandi, se canticis sublevat, denique canticis laetissimis aegritudinem animi dissimulat, qua vexatur tanquam servus fidelis ob turpitudinem, quae domum evertit?

Illa vero cantica excubitorum etiam Aristophanes memorat in Nubium vs. 721 (ed. Kockius), qui, cum φρουρὰς ᾄδειν idem apud eum dicat, quod ἀγρυπνεῖν, haud scio an excubitorem Aeschyli eiusque molestias in animo habuerit.

Addimus autem, aliud quoque verbum, quod sensum habeat canendi, non plane denegandum, sed ipsam vocem ᾄδω aliis praeferendam esse, quia, ut nexus rerum magis conspicuus esset, Aeschylum iterum eodem verbo usum esse admodum verisimile est.

G. Hermanni igitur et Schneidewini τὶ μήν; quae pro ἐμήν submiserunt, quamquam non liberius excogitata sunt et facillima est emendatio, tamen cum omnem orationis distinctionem, quae nostra opinione constat, non contineant, expellenda esse arbitror.

Porro, quae nuperrime a Maehlio (cf. novv. ann. phill. tom. XCV, pg. 426) et in eph. lit. cath. a. 1864 disputata sunt, mihi nullam veri similitudinem habere videntur.

Valde autem miratus sum, quod ab Engero etiam in editione Klauseni codicis scriptura omnibus partibus retinetur.

Ergo ἐμήν per illud εὐνήν, quod antecedit, in textum irrepsisse videtur. Quamquam mendum fortasse inde exortum est, quod unum verbum deerat in textu et lacuna facillime per pronomen personale a librario explebatur. Quam rem statim alio exemplo probabo. Scilicet Agamemnonis vs. 1226 spurium iudico, quem iam pridem, cum Agamemnona legerem, loco non quadrare intellexi. Et, quo magis omnia cognoscantur, vers. 1223—1226 affero:

ἐκ τῶνδε ποινάς φημι βουλεύειν τινα
λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον
οἰκουρὸν, οἴμοι, τῷ μολόντι δεσποτῇ.
[ἐμῷ· φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζύγον].

Etenim Casandra de priscis aedium flagitiis locuta est et Atrei crudelitate, propter quam Agamemno poenas daturus sit Aegistho. Quas poenas iam mente praevidet interitumque Agamemnonis et necem regis luget.

Quanam igitur ratione vs. 1226 ad cetera aptus est? Num consentaneum est, hoc loco Casandram dolere etiam de servitute? Nonne de miseriis Atridarum, quas hic summo dolore Casandra describit, detrahitur aliquid, si praeterea sui doloris meminerit? Nonne duae res miscentur, quarum neutra satis dilucide commemoratur?

Itaque vs. 1226 ab aliquo, qui sive *οἶμοι* non intellexit, sive Agamemnona a Casandra dominum vocari nequire iudicavit, nisi novam servitutem designans suum dominum esse expresserit, interpolatum existimo.

De interpolatis enim versibus minime consentio cum Keckio, qui plurima esse glossemata, nullam interpolationem affirmat, qua de re in eph. lit. cath. a. 1864 atque ab Engero in mus. rhen. n. s. recte refutatus est.

Iam vero, ut ad singula verba transeamus nostri loci, quae Wunderus de verbo *νυκτίπλαγκτος* diiudicavit, vehementer denegamus. Nam, si *νυκτίπλαγκτος* idem significaret, quod *νύκτιος*, *νυκτερός*, *νύχιος*, lectus aliquis, qui noctu occupatur in aedibus, pariter *νυκτίπλαγκτος* vocari potest?

Nam, si id rectum esset, quonam pacto adiectiva *νυκτίπλαγκτος* et *ἔνδροσος* hoc loco inter se coniungi et per particulam *τέ* copulari possunt? Si enim hae duo notiones non quodammodo sensu inter se similes sunt neque lectus ob eam causam *ἔνδροσος* vocatur, quod *νυκτίπλαγκτος* est, futilis et vana exprobranda est loquacitas. Quod nocturnus est, lectus profecto nullum habet horrorem.

Verum habet summum horrorem lectus, quod noctu, quo tempore quisquis quietam domus tutelam appetit, procul a dormitorio quasi errat et vagatur. Quemadmodum omnes res *νυκτίπλαγκτοι* dicuntur ab Aeschylo, quae silentio et quiete noctis carent.

Velut in Agamemnonis vs. 330:

τοὺς δ' αὖτε νυκτίπλαγκτος ἐκ μάχης πόνος
νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν, ὧν ἔχει πόλις,
τάσσει sq.

non labor nocturnus intellegendus est, sed exprimit verbum errorem Achivorum, qui noctu somni gratiam aversantur. Quare non cum G. Hermanno, Keckio, Wundero consentio, qui „nocturnum laborem" interpretantur nec vero cum Schneidewino, qui plus in verbo sentit, quam dicit poëta, et propter urbis inscientiam Achivos nequidquam errantes facit.

Postremum vero in Choëph. vs. 751 *νυκτίπλαγκτα κελεύσματα* ad vagitus sollicitos spectare, qui errant quasi per noctem neque somnum sibi vendicent, quis non videt? Hermannus igitur longe abest a vero, quod etiam hoc loco nocturnos vagitus interpretatur. Atque *δείματα νυκτίπλαγκτα*, quae exstant in Choëph. vs. 524 eadem ratione intellegimus; nam ostenta per taciturnam noctem vagantur et somnum mortalibus auferunt.

Sane res est testimoniis approbata, cum alios tum Aeschylum alteram partem vocis alicuius, quae composita est, repressisse; verumtamen, si adiectivi omnis vigor altera parte continetur, ut huius adiectivi, non sine causa vis verbi infringenda est.

Quocirca exprimitur verbo omnibus locis aliquid, quod nocti et nocturno silentio non convenit atque ita verbo exposito omnia, quae dubitabantur, et Weili coniectura *νυκτίπαχνον* (cf. novv. ann. phill. tom. LXXXIX, pg. 291) concidere videntur.

Ut autem pergamus, suspicionem quandam res movet, quod verbum *ὕπνος* in brevi enuntiato sine causa repetitur atque in vs. 17 iterum existit. Itaque complures interpretes, qui hac re offendebantur, non tam *ἀνθ' ὕπνου* in vs. 14, quam *ὕπνῳ* in vs. 15 removerunt, velut Karstenius scribit *ὀκνῶ*, Keckius *πόνον*, ille in eph. lit. cath. l. c. *ὕπαρ*. (quam quidem coniecturam unam ex omnibus improbo), denique Maehlius in novv. ann. phill. tom. XIV, pg. 426 *ἐμέ*. Equidem malim istud *ἀνθ' ὕπνου* impugnare, quam *ὕπνῳ*, quod etiam vs. tertio in Sept. ad Theb.:

— — *βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ*

confirmatur. Accedit, quod haecce *ἀνϑ' ὕπνου παραστατεῖ* nescio quod frigidum habent et mentio somni hic multo minus requi ritur, quam in vs. sequente. In quo somnum commemorari dumtaxat ipsis verbis liquet, cum non necesse sit, somnum in vs. 14 esse allatum.

Et, cum de hoc loco meditarer, mox mihi in mentem venit alius Agamemnonis locus, qui remedio indiget, vs. 179:

„*στάζει δ' ἓν ϑ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας*
μνησιπήμων πόνος — —,"

Praetermittimus autem interpretationem ab Hermanno ad hunc locum artificiosius excogitatam. Nemo enim mihi persuadebit nec mentionem somni huic loco quadrare nec particulam *τέ* inter *ἓν* et *ὕπνῳ* recte positam esse, quae omnibus interpretandi artibus non approbatur. Engerus igitur cum Emperio in textu supposuit *ἀνϑ' ὕπνου*, ut in vs. 14, facillima emendatione, quae tamen non sententiam emendat.

Ideo mox in eam spem venimus, si uterque locus remedio indigeat, fortasse utrumque locum eodem remedio sanatum iri. Attamen, cum diu de re meditatus essem, nihil habui ad sententiam corrigendam atque eam coniecturam, in quam incideram, postea ipse reieci. Quare hanc rem eis penitus commendo, qui me potestate coniectandi antecedunt.

Porro in vs. 15 sensum exigua emendatione magis perspicuum fore videmus, quam tamen non studiose tuemur, quippe quae non necessaria sit, sed subicimus aliorum arbitrio. Scilicet pro *βεβαίως* facile ponitur *βιαίως*, unde ista emanaret oratio: „— — canere incipio, quia timor in animo haeret, ne vis somni oculos meos comprimat." Nam veretur custos repentinum somni impetum magis, quam altum somnum. Quamquam *βεβαίως* sententiae non officere non ignoramus. De *βιαίως* autem cf. vers. Agamemnonis 183.

Karsteni tamen cum librum modo evolverem, versus 179 recensionem apud eum cogniturus, eum rem convertisse in contrarium neque in vs. 15 *βιαίως* pro *βεβαίως*, sed in vs. 184 *βέβαιος* pro *βιαίως* supposuisse animadverti. Cuius rationem

valde improbo, quia ad locum adiectivum *βίαιος*, sive *βιαία* sive *βιαίως* scribitur, prorsus aptum est et magis aptum est, quam *βέβαιος*. Sententiam enim illius loci sic complectimur: dei interdum (*πού*, quam particulam multi interpretes non recte intellexerunt) per vim vel potius violentiam hominibus afferunt beneficia. Quare exigua emendatione *βιαία*.— quomodo Hartungius scribit — emendaretur, quod aliis lectionibus praeferendum existimo, ita ut *χάρις βιαία* tanquam *ὀξυμώρον* quoddam existat. Ceterum cf. editiones, Ahrensium in phil. suppl. I 242—244, Maehlium in novv. ann. phill. tom. XCV, pg. 431, qui de particula *πού* sine causa dubitat.

Sed transeamus ad ea, quae sequuntur:

ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐκτέμνων ἄκος,
κλαίω τότ'· οἶκου τοῦδε συμφορὰν στένων,
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα δεσποτουμένου.

Ubi in eph. lit. cath. l. c. proponitur scriptura *εὖ τεύχων* pro *ἐκτέμνων*, quam emendationem non modo falsam, sed etiam inanem esse iudico, quippe quae temere uberiorem poëtae orationem expellat.

In vs. autem 19 *δεσποτουμένου* coniecturam M. Schmidti libenter accipimus pro *διαπονουμένου*, cuius sensus aegre perspicitur, cum praesertim similitudine scripturae origo vitii facillime cognoscatur.

Deinceps de vs. 20—21 atque ea ratione, qua *νῦν δέ* coniungenda sint, iam argumentatus sum.

Sequuntur autem:

ὦ χαῖρε, λαμπτὴρ, νυκτὸς ἡμερήσιον
φάος πιφαύσκων καὶ πολλῶν κατάστασιν
χορῶν ἔν Ἄργει τῇσδε συμφορᾶς χάριν.

Unum igitur ad hos versus moneo, *φάος ἡμερήσιον* non solum imaginem esse dicendi, quae res feliciter perfectas indicet, sed ex ipsis verbis cognoscendum, quae sane gaudium et laetitiam quandam continent. Cf. vs. Agamemnonis 288.

Et *πιφαύσκειν* idem est, quod in latina lingua illustrare vel declarare vel ostendere; sed nunquam eum sensum habere videtur, nisi de magnis et excelsis rebus dicitur, quae ostenduntur. Cf. enim Pers. vs. 661. De *νυκτός* autem scholiasta refutandus est, qui *ἐκ νυκτὸς ἡμέραν διδούς* adscripsit neque *νυκτός* idem esse, quod *νύκτωρ*, intellexit. Cf. Pers. vs. 200.

Lacunam vero, quam Keckius et secutus eum Weilius (cf. novv. ann. tom. LXXXIX, pg. 292) post *τῆσδε συμφορᾶς χάριν* statuerunt, minime accipio neque illas causas, quas Keckius suppeditavit, agnosco. Namque *ἥδε συμφορά* non ipsa flamma est, verum interitus Troiae est, qui per flammam nuntiatur.

Quae recte in Mediceo excipiunt clamores excubitoris *ἰοῦ ἰοῦ*, quos post versum 21 inserendos esse negabo; sed per istaec *ἰοῦ ἰοῦ* excubitor gaudio elatus iam eum clamorem, quo dormientes expergefacere solemus, imitatur, priusquam ad reginam se confert atque eam certiorem facit. Itaque non adducor, ut in vs. 26 ex aliis codicibus scripturam Medicei *σημαίνω* in *σημανῶ* immutem. Quae opinio etiam adiuvatur scholiastae interpretatione: *τορῶς*] *μεγαλοφώνως;* nam id ad *ἰοῦ ἰοῦ* referendum est, quae excubitor summa voce exclamat.

Ceterum *ἰοῦ* pertinere ad tragoediam negant et iterum rem plebeio excubitoris sermone excusant. At conf. Ag. vs. 1214. Choëph. 881. Soph. Ai. 93.

Tum autem in eis, quae sequuntur usque ad vs. 31 nihil habemus, quod adnotetur, nisi de verbis:

„— — *ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλων πρέπει*“

pro quibus haec fere exspectantur:

„— — *ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλει πρέπων.*“

Attamen plus vigoris affertur sermoni, eo verbo exaggereto, quod maiorem potestatem habet enarrandi. Velut in Agamemnone vs. 422 sic legitur:

„— — *εἶτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾷ,*“

pro quibus usitatus esset sermo:

„— — *εἶτ' ἂν ἐσθλά τις ὁρᾶν δοκῇ.*“

Custos igitur se non modo reginam certiorem facturum esse

dicit de eventu, sed se ipsum unum ex omnibus laetitia exultaturum esse profitetur:

αὐτός τ' ἔγωγε φρονίμων χορεύσομαι,

quae certissime imaginis loco intellegenda sunt, sicuti *χορῶν κατάστασις πολλῶν ἐν Ἄργει*, quorum saltem postea nunquam mentio fit.

Namque oblectamini summo est excubitori, quod tandem liberatur excubiis:

τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα ϑήσομαι,
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας,

quae in latinam linguam sic transferuntur: „principum enim fortunam magno mihi lucro apponam (cf. Hor. carm. I, 9, 14—15) atque immensum quaestum mihi hodie excubiae rettulerunt".

At enim quam multa disputata sunt de verbo *ϑήσομαι*, quod quisque hominum doctorum aliter expellit. Atque alii aliter locum mutant: velut

Keckius et
Weilius, qui cum eo convenit } *αἰσϑήσομαι*
Maehlius (novv. ann. phill. l. c.): *εὖ ϑήσομαι*
eph. lit. cath. l. c.: *εὖ πεσόντα ϑύσομαι* [2])
Karstenius: *ἀϑρήσομαι*

Engerus denique uncos adhibet ad totum versum delendum et, quamvis sagax sit eius argumentatio (cf. mus. rhen. n. s. tom. XX, pg. 244) mihi minime rem persuasit, quam persuasurus est.

Cur tandem omnem hanc operam interpretes impenderunt? Si enim quis domum aliquam ardere narravit, iam undique concurrunt et, quod alius alium docet, omnes incendium esse credunt, quamquam nemo flammam conspexit. At, priusquam conspexi, flammam ne esse quidem arbitror.

Ut igitur rem melius exploremus, de verbo *τίϑεσϑαι* paullum disputari attinet. De quo verbo interpretes, cum dubitarent, num interdum idem, quod „opinari", diceret, non eos dubitaturos

[2]) quae Graece dicta ille esse putat et comparat *νικητήρια ϑύειν* Nonne videt, quantum differat?

fuisse arbitror, si Henricum Stephanum respexissent, qui rem permultis exemplis testificatur.

Ille enim et *εἰς οἰωνὸν τίθεσθαι* et *οἰωνὸν τίθεσθαι* exstare demonstrat, ita ut ab illa collocandi sententia istam opinandi ductam esse appareat. Atque, si legeris vs. 451 in Soph. Phil.:

ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα sq.

in aequum modum, atque *εἰς οἰωνὸν τίθεσθαι* id dictum esse videbis et prorsus rationem, ex qua sententia opinandi exstiterit, probabis. Ceteroquin cf., quae Schneidewinus ad hunc locum adnotavit.

Ideo excubitor haecce dicit: res dominorum bene evenisse iudico, quoniam hodie miseriis absolvar. Illum autem fortunam dominorum ad se referre, ipsa res ostendit neque opus est dubitari, num medio id satis exprimatur. Etenim, si medio remoto excubitorem sic loquentem feceris: res bene evenisse arbitror, quoniam sq. non minus res intellegitur. Repudiandae igitur sunt cunctae dubitationes, in quas forsitan ista futurali forma: *θήσομαι* adducti sint, quae habeat optimam ansam coniectandi. Ceterum cf. Hainebachium in novv. ann. phill. tom. XI l. c., qui iam pridem sententiam opinandi defendit et exemplis sustentavit.

Atque *ἥδε φρυκτωρία* has supremas excubias significat, unde iterum patet, nocturnam tantum fuisse excubitoris custodiam et dierum intervallis in singulas excubias fuisse distinctam. Sed ne hanc quidem rem intellectam esse ab interpretibus, ea testimonio sunt, quae Keckius in commentario suo disseruit. Quod autem Keckius de praemio aliquo dicit, quod excubitor exspectet, prorsus refutabo.

Eis igitur recitatis graviter interpungendum est, et custos revertitur ad ea, quae in vs. 19 brevi attigerat. Nec tamen apertius, quam supra in vs. 11 et 19, periculum expedit, quod immineat aedibus, verum, quo obscurior est oratio, eo magis Aeschylus studium auget auscultandi spectatoribus. Quae ars in reliquis Aeschyli tragoediis nunquam invenitur et iam pertinet ad eam varietatem, quae propria est Sophoclis.

De illo bove autem, qui os premit custodis, nihil certius exploratum est, nisi Ahrensium sequemur, qui maiore simplicitate, quam alii, rem explicavit et bovem clavem aliquam oris esse statuit. Cf. Phil. suppl. I, pg. 229—233.

Postremum cum Keckio sequor Schneidewinum, qui exemplis allatis ἑκών non potius cum αὐδῶ, quam cum ἐπιλήθομαι coniungendum probat. Atque accedit, quod custos domum, quae loqui non possit, etiam linguam concupiscere dicit, ut omnia peroret, se tamen sua sponte (ἑκών) reprimere orationem. — —

Quocirca, si istud prooemium, quod concinnitate et lucida distinctione forsitan multas tragoediae orationes praevertat, paullulum explanavi et declaravi atque miram eius eloquentiam ostendi, non nihili duco operam a me impensam.

Iam in exitu libelli nonnullos alios Agamemnonis locos tractabo.

Versus igitur 60 sq. sic leguntur:

οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεὺς, πολυάνορος ἀμφὶ γυναικὸς
πολλὰ παλαίσματα καὶ γυιοβαρῆ,
γόνατος κονίαισιν ἐρειπομένου [8])
διακναιομένης τ' ἐν προτελείοις
κάμακος, θήσων
Δαναοῖσιν Τρωσί θ' ὁμοίως.

Disceptaverunt autem interpretes de „προτέλεια", num cum scholiasta „αἱ πρὸ τῆς ἁλώσεως μάχαι" intellegendae sint, an immolatio Iphigeniae et retardatio exercitus. Hanc enim interpretationem Ahrensius tuetur, illam Panzerbieterus l. c.

Atqui non dissensio fuisset, si omnes et diligenter sententiam percepissent et in memoria habuissent locum quendam Homeri, quem Aeschylum imitatum esse liquet. Namque exstant haecce in Iliadis carmine altero inde a vs. 37.

---

[8]) sic enim cum Ahrensio scribimus pro ἐρειδομένου.

φῇ γὰρ ὅγ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ,
νήπιος, οὐδὲ τὰ ἤδη, ἃ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα·
θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεά τε στυναχάς τε
Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι διὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Qui locus Panzerbieteri opinionem satis defenderet, nisi ipsa res idem demonstraret. Ahrensius vero, cum proelia decem annorum *προτέλεια* nominari posse negaret, acerbitatem verbi omnino non perspexit, qua diuturnitas rei exiguae exprimitur. Sed Ahrensi opinio nequaquam ferenda est, qui, cum ad immolationem Iphigeniae respiciat, explicare debebat, eam immolationem non minus Troianis molestam fuisse. *(Τρωσί θ' ὁμοίως.)* Quod nec demonstravit Ahrensius nec demonstrare potuit. Accedit, quod *προτέλεια κάμακος* nimis artificiose ab Ahrensio componuntur.

Et *Τρωσί θ' ὁμοίως* non ad ea, quae sequuntur, adiungo, sed ad ea, quae praecedunt. Quomodo enim verba *Τρωσί θ' ὁμοίως* tanti ponderis essent, quantum eis nonnulli tribuunt? Verbum autem *ὁμοίως* cum *τέ — τέ* hoc loco aeque positum est, atque in latina lingua „una et — et", quamobrem non ad Troianos solos pertinet, verum non minus ad Achivos. Etenim num id Aeschylus dicturus est, Troianos non minus malis, quam Achivos afflictatum iri? An vero id dicitur, non minus Achivis id eventurum esse, quam Troianis? Quam sententiam nunquam assequemur, nisi *ὁμοίως* in eum modum, quem proposui, explicaverimus. Cf. Choëph. vs. 336—7. Eum. 276—7. Eum. 525.

Inde a versu 76 haec exstant:

ὅ τε γὰρ νεαρὸς μυελὸς στέρνων
ἐντὸς ἀνάσσων
ἰσόπρεσβυς, Ἄρης δ' οὐκ ἔνι —
τί θ' ὑπέργηρως;
φυλλάδος ἤδη κατακαρφομένης
τρίποδας μὲν ὁδοὺς στείχει, παιδὸς δ'
οὐδὲν ἀρείων
ὄναρ ἡμερόφαντον ἀλαίνει.

At Keckius lectione *στέρνων* offensus sic scripsit:

ὅ τε γὰρ νεαρὸς μῦελὸς ἑρνῶν
ἐντὸς ἀνάσσων [*τῶν ἀρτικόμων*]
ἰσοπρέσβυς sq.

Quid? Keckius, ut reor, non ita commutavisset locum, si verba Aeschyli accuratius animo perpendisset. Nonne animadvertit Keckius, Aeschylum robur, quod antea viguerit in pectore, postea iam periisse dicere et frondibus privatum esse? nonne intellexit Aeschylum, qui dicit, robur infantium nondum, at senum non amplius conspici posse? Non animadvertit, non id intellexit Keckius. Nam, si id intellexisset, non eos Germanos versus adscripsisset, quos quidem adscripsit:

„Denn iugendlich Mark, im schwellenden Trieb
Mit dem sprossenden Laub aufschiessend, es ist
Greisaehnlich sq.“

Amittitur enim, ut videtur, *ἐντός*. An vero id transfertur a Keckio per istaec „im schwellenden Trieb“? quasi haec vim exprimant, quae inest in *ἐντός!* Etenim ea sententia, vigorem infantium occultum esse neque iam expeditum, omnia continentur. Ergo Kecki opinionem refutemus oportet et codicis auctoritatem comprobemus.

Ut autem Keckius hac de re non perspexit Aeschylum, non minus ea, quae sequuntur, ab eo conturbata sunt. Scilicet pro *Ἄρης δ' οὐκ ἔνι χώρᾳ*, quam scripturam codicis perversam esse constat, scripsit: *Ἄρης δ' οὐκ ἔνι χλωρῷ*.

At quomodo factum est, ut idem Keckius, qui summa assiduitate id curat, ut concinna sit Aeschyli oratio, hoc loco adeo non concinnitatem rerum observaret? Quod enim „*μυελὸς στείχει τρίποδας ὀδούς*“ sequitur, etiam antea infirmitatem pedum adhiberi ad similitudinem necesse est atque hunc in modum se omnino invalidos esse exponunt. Et iam antecesserant verba:

„— *ἰσχὺν*
ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις.“

Quare nullam ob causam infantium mentio fit, nisi ut ea, quae antecesserant, explicarentur neque nobis causa affertur,

quamobrem infantes non belli participes sint. Hoc enim nullo modo ad rem pertinet. Quapropter penitus consentio cum Ahrensio, qui sic scribit:

„— —
ἰσόπρεσβυς, Ἄρης δ' οὐκ ἔνι, χωρεῖ,"

ita ut *ἰσόπρεσβυς* cum verbo *χωρεῖν* coniungatur. Quae opinio maiorem simplicitatem habet et veri similitudinem, quam ceterorum, et, cum ea ab Ahrensio disputata essent (cf. Phil. l. c.), miror, quod Weilius, Keckius, Engerus, Karstenius semper variis opinionibus a vero aberraverunt.

Tractemus autem ea, quae inde a versu 119 scripta sunt:

„— —
βοσκόμενοι λαγίνας ἐρικύμονα φέρματα γέννας
βλαβέντα λοισθίων δρόμων.

Quae verba, si cum Prienio et Hartungio ita composita erunt, non amplius indigent coniecturis.

De *λοισθίων δρόμων* eam opinionem proponere velim, quam praeclaro iudicio Keckius statuit de Ag. vs. 795—799 in novv. ann. phill. tom. LXXXV, ubi per *ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν* diei tempus indicari admonet, quo leo erumpat.

Neque minus autem *λοίσθιοι δρόμοι* leporis ei sunt, quos sub vesperem facit, dum redit ad cubile. Igitur ipse conservatus esset et fetus, quem lepus proxima nocte edidisset (cf. vs. 137), nisi subito aquilae eum invasissent, quae sub vesperem sibi cibum quaerunt. Qua ratione omnia satis perspicue exponi arbitror et, quod ab Homero *βλαβέντα κελεύθου* dicitur, haec *βλαβέντα δρόμων* satis defensa esse videntur.

Iam ultimus locus, quem tractabo, invenitur inde a vers. 169:

οὐδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας
παμμάχῳ θράσει βρύων
οὐδὲ λέξεται πρὶν ὤν·
ὃς δ' ἔπειτ' ἔφυ, τριακτῆρος οἴχεται τυχών.

Ubi cum omnes interpretes neglegerent rationem apertissimam, ex qua verba coniungenda essent, factum est ut universa sententia conturbaretur.

Nam *μέγας παμμάχῳ θράσει βρύων* apparet non modo ad *πάροιθεν ἦν*, verum non minus ad *ἔπειτ' ἔφυ* pertinere. Iuppiter enim prostravit Titanas, quorum ne mentio quidem postea fit et potentia omnis sublata est, et superabit Iuppiter quemvis, qui se potentia viribusque suis iactabit.

Cum igitur finem faciam nunc commentandi, restat, ut gratiam referam Ernesto de Leutsch quam maximam, qui me liberaliter consilio suo adiuvit.

Quamvis parvae sint res a me tractatae, tamen paullulum idoneas fore spero ad intellegendum Aeschylum et, ne contemnantur, precor. Postea vero, si licebit, maiore cum emolumento ad Aeschylum redire in animo est.

Vimariae. — Typis Hermanni Boehlau.

Ga 9.675
Quaestionum Aeschylearum specimen.
Widener Library 001811178
3 2044 085 082 584